



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Pactum de retrovende[n]do in favorem utriusque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

enim non transit in dominium eius, qui illud accipit: at in casu nostro fundus sit emptoris, unde si perit, ipsi perit, atque ipsius sunt fundi fructus, non verò venditoris; Supponimus enim esse veram, validamque emptiorem: si enim ex aliquo capite invalida esset, certe fructus essent venditoris, res enim semper pro Domino fructificat. Lege Molin. d. 374. qui notat, quando eiusmodi pactum est pro tempore determinato, verbi gratia, intra decem annos, iis annis exactis, remanere absolutam venditionem, & tunc emptorem posse deinde rem, ut potè absolutè suam, aliis distrahere, quod antea, propter pactum, facere non potuisset. Notat insuper quomodo venditor, vel eius hæres possit agere contra tertium possessorem in casu, quo contra pactum ante tempus rem emptor distraxerit.

16. Porro adverte, pactum hoc retrovenditionis posse apponi tribus modis. Primò, ut sit in favorem venditoris. Secundò, in favorem emptoris. Tertiò, in favorem utriusque. Primum est, si quis tibi vendat fundum ea lege, ut eo volente restituere pretium, tu debeas reddere fundum. Secundum est, si quis vendat tibi prædium ea lege, ut volente te restituere prædium, ille debeat restituere pretium. Tertium est, ut volente eo reddere pretium, tu reddas prædium, & volente te reddere prædium, ille reddat pretium. His positis:

17. Assero, omnibus his tribus modis, pro tempore determinato, sive indeterminato, seu ad alterutrum libitum, licitam per se esse prædictam conventionem. Ita Molin. d. 374. Lessi. l. 2. cap. 21. d. 14. de Lugo loco citato, c. 1. à num. 185. Fagundez de contrah. l. 5. c. 45. Ratio est, quia potest servari æqualitas in hoc contractu, cum nulla iniuria vendentis, ementisve. Et sicut census ferè semper venduntur, seu constituuntur cum pacto explicito, vel saltem implicito retrovenditionis, ut approbaverunt Summi Pontifices, & ipsa communis praxis: ita hæc.

18. Illud tamen præ oculis accuratè semper habendum est, ut, quia pactum hoc est onus quoddam pretio æstimabile, is qui illud subit, debeat id reducere de pretio, seu de valore rei; nam si res valet decem, v. g. quando venditur absolutè, certè minus valeat, necesse est, si non absolutè vendatur, sed cum onere illam relinquendi. Ut autem hæc, & alia huc pertinentia explicatiùs habeantur, sic distinctè procedamus.

Pactum de retrovendendo in favorem venditoris.

19. Res vendenda cum hoc pacto, quanti minoris valet? Respondeo, quando adest lex taxans, ut in aliquibus locis esse audio, illam esse servandam, non est dubitandi locus. Quando ergo lex deest, diminui docent aliqui innominati apud de Lugo, l. c. n. 189. pretium debere per tertiam partem, ut si res valebat absolute triginta, cum eo pacto valeat viginti. Aliqui verò docent, diminui per quartam. Ita Bonac. de contrah. d. 3. q. 2. p. 3. n. 2. qui testatur, ita esse praxim Mediol. Sed melius alij id statuunt, esse decernendum prudentis arbitrio, expensis, longitudine, & brevitate temporis, periculis recuperandi rem vel recuperandi fortè deteriorem, &c. Reginald. Mol. Menoch. alique cit. à Bonac. loc. cit.

20. Res iam vendita cum pacto, quanti deinde debet redimi, pretione, quo res fuit emptæ, an quo valet tempore redemptionis? Respondeo, si præcessit pactum in contrahendo, ut emptor teneatur eodem pretio revendere (quod pactum esse licitum, docet Lessi. loco citato, n. 115, cum id sit pactum de rescindendo priore illo contractu, & non sit novus, qui requirit pretium currens tempore contrahendi: ut patet etiam in censibus, in quibus statutum est à Martino, Nicolao, Pio, Quintis, ut eodem pretio redimantur: supponere autem semper debet Lessius, rem non inveniri saltem notabiliter deterioratam) si præcessit, inquam, hoc pactum eodem pretio redimendi oportet. Quod si præcessit pactum de retrovendendo eo pretio, quo valebit tempore revenditionis (quod

etiam esse licitum idem Lessius notat, quia tunc potest tituli fieri novus contractus) sub hoc pretio erit retrovenditor celebranda; novus enim contractus requirit pretium currens.

21. Difficilius est statuere, si nullum præcesserit pactum, sed dictum dumtaxat fuit: *Vendo tibi hoc prædium cum pacto retrovenditionis*. In quo casu putò debere dari pretium currens tempore, quo retrovenditur. Nam est, quia tunc fit novus contractus vel retrovenditionis (nisi præcesserit pactum) obligatur solum rescindendo pactum præcedentem, novus autem contractus venditionis debet esse sub pretio, quod currens tempore, fit venditio, ut dictum est.

22. Denique: quid si fiat pactum, ut prædium revendatur pretio minori, quam sit infimum, quo tunc venditur? Dico pactum hoc esse iniquum, & non servandum, quia in hoc casu retrovenditor retrovendit sine onere, ut supponimus: unde ergo minoris, quam valeat, redimi sine iniustitia potest?

23. Quod dictum est de re immobili, dictum est etiam de mobili, licet enim potes vendere, verbi gratia, equum, bovem, vestem cum pacto, ut emptor teneatur revendere: diminui tamen aliquid de pretio debet propter hoc onus superadditum, ut constat ex dicto.

24. Petes, rem stabilem, verbi gratia, fundum, ut me tibi venditum, possides tu statim deinde locares, locata iusta pensione à me solvenda? Respondeo, non solum rem stabilem, sed etiam rem mobilem, verbi gratia, vestem, bovem, equum, &c. Ratio est, quia iam est tua de illa disponere, ut libet, potes. Sollicitudine à palliata usura, ut si non intendas verè vendidit locare, sed solum lucrum habere, &c. quæ ceteris rationibus facilius est in rebus mobilibus, quam in stabilibus. Vide simile quid paulò superius, n. 13.

Pactum de retrovendendo in favorem emptoris.

25. Ego, v. g. à te fundum hac lege, ut quoties in luero, possim à te recuperare pretium, restituo tibi fundum. In hac ergo venditione, quodnam erit pretium? Respondeo, erit aliquantò maius, ad arbitrium prudentis. Ratio est, quia venditor suscipit in se obligationem onerosam, ut reddat pretium, resumaturque revenditum. At quando resumit rem venditam, non datur quantum accepit, sed quanti valet res eo tempore, quo rem resumit: nam si in manu emptoris res fuit deteriorata, æquum non est, ut redimatur eodem pretio, quo voluit sine illa deterioratione. Quod si pactum aliquod in contrarium præcesserit, dic illud proportionaliter, quo modo n. 13. attulimus.

Pactum de retrovendendo in favorem utriusque.

26. Si pactum sit, ut tum venditor, tum emptor possint rem redimere, vel revendere, eo tempore, quo in libuerit, pretium debet esse, & aliquantò maius, quam si venderetur solum cum pacto in gratiam venditoris, & aliquantò minus, quam si venderetur solum cum pacto in gratiam emptoris. Quare ita calculat Lessius, l. c. n. 120. si res valeret aureis centum, in hoc casu posset vendi, seu emi aureis 88. vel 90. ad arbitrium prudentis. Ratio est, quia sicuti pactum est in utriusque gratiam, ut pro utroque in aliquo pretium diminui, congruum est. At quando deinde revenditur, iustum pretium erit, quantum valet tempore, quo fit retrovenditio, modo, quo dictum est num. precedente.

27. Petes: In prædictis tribus modis fructus imputari ad quem pertinent, ad venditorisne, an ad emptoris? Respondeo, hæc, & similia, cum non sint admodum frequentia, & multum ad lusus peritos pertinentia, Lege apud DD. de Lugo com. 2. de Inst. diffut. 2. 6. §. 1. & pro praxi Bonacin. diffut. 3. de controversiis, quæ sunt part. 7.

§. IX. De venditionibus, & emptionibus nomine alterius factis.

Venditio alieno nomine.

Si tibi famulo, vel mercede conducto res tanti, verbi gratia, decem aureis vendenda tradatur à Domino, multo magis, si dicat: *Vende in isto pretio*, si autem res decem, vel famulo iusto pretio, nec illum autem, ut aliquid tibi potes attribere quia res vendenda tota sit, ut ita dicam, fructu: ita Domino. Dices. At Dominus in priore casu determinavit pretium. R. Respondetur, censetur determinasse, ne minoris venderes, non tibi cessat reliquum (ni exprimat saltem tacite, ut dicitur *max*) nemo enim censetur prodig. rem suam. *de Molina disp. 363. Lessius d. 18. Fagund. l. 3. cap. 16. d. 45.*

Dixi tu vendas summo in isto pretio si enim vendidisti summo, nec tibi ille excessus, nec Domino rei cessat emptori, utpote decepto reddidit. Hæc faciunt que dicam num. 11.

1. Quando autem Dominus indeterminatè dixit, et in isto pretio venderes: moralis d. gentia, hoc est, ea, quæ venditores rerum suarum communiter apponere consueverunt, est à te adhibenda, ad inveniendum etiam sumum pretium pro Domino: quia posito, quod exspectando superis officium vendendi, eam diligentiam necesse promissum.

2. In eo casu, quo Dominus determinatè pretium, illa autem uti potes, ut scilicet statim pro te rem emas, determinato pretio à Domino: nam deinde licet vendere poteris plus, seu summo iusto pretio in tui utilitatem, quæ vendis rem iam factam tuam.

3. Verum, etiam naviter cavendum, ne velis fide emere ad palliandum fortum. Accipe signum veri, vel ficti animi satis evidens. In casu, quo deinde forte minoris rem venderes, si tuo damno velis vendere, & rem tibi petere velis, si fore periret: enimvero sinceram animum habes emendi, sed usum palliare te voluisti convincere. Quid, si ad hunc animum nihil adverteas pro te emi, & deinde plus vendidisti? Respondeo, inspicere diligenter, quid sensisses, si ea pericula advertisses, nam tunc concidit, quemnam animum habueris. Prof. et d. vi. credo eiusmodi famulo, animum habuisse subeundi pericula: volunt enim ipsi certo lucrari, quare excommuni ter contingentibus valde vereor, ne fictus sit animus emendi.

4. Quando denique Dominus determinat pretium pro te, atque illud plus, quod vendi potest, accipit ex parte famulo, iuste famulum illud accipere, atque nimis est clarum. Dico, expr. se, nam quando famulus, vel pretio conductus ad vendendum, servit mercede, non presumitur Dominus aliam mercedem, hoc est, excessum illum, quos res plaris venditur, velle etiam concedere, ut dixi num. 1. id, quod facilius presumitur, quanto gratis, & sine pretio quis servit, cuius explanationem iam sublo.

5. De famulo enim hæcenus dictum est, seu de eo, qui mercede conductus est: verum, si gratis rem alterius suscipit vendendam, iustè vales aliquid tuo labori proportionatum corradere: Iustè, docet Fagundez loco citato, etiam si expressè dixeris te gratis venditurum, quia sic mendax fuisses, non iniustus nemo enim tenetur gratis servire. Molina *ibidem*, omnino id negat, quia, inquit, in Domino putante te gratis suscepisse vendendi laborem, remanet erga te gratitudinis obligatio. Verum, Fagundez, *ibidem* respondet hanc fore obligationem animi grati, & incertam, quæ interdicit rem hunc servientem non potest, ne certum suum laborem compenset.

Fagundez sententia mihi arderet, nisi unum regularet obstat, si enim Dominus servisset te gratis non servitutum, certè elegisset famulum ordinatum, vel

Part. I.

amicum, qui sine pretio, laborem suscepisset, & quidem illum facile in tanta amicorum frequentia inveniret. Quoniam ergo tu Dominum, simulando gratis servire, decepisti, illum indemnem reddere debet, si nihil occidendo, ut opus. *de Sacrif. Missa, lib. 3. cap. 1. §. 3. d. num. 57.* per aliam occasionem fufius dixi. Solum igitur à iusto labori impenso proportionatum summe posses, quando alius forte inveniendus non fuisset à Domino, qui gratis servivisset: vel quando Dominus facile advertere poterat, te servientem non gratis servire, ut si esses in istum pauper, non vulgarem laborem suscepisses, vel hoc officio vendendi te sustentare soleas, tunc enim præsumitur Dominus mercedem servienti nolle denegare: & quidem quando pretium Dominus determinat, & nihil se exlicans, dat se vendendam mediatoribus, seu proxenetis ex officio, nec mercedem pro ipsorum labore solvit semper intelligitur excessum supra determinatum pretium ipsis pro sua mercede relinquere. Sed hi, similesque caveant, ne volendo carius vendere, damnum faciant Domino rei, plus debito venditionem differendo.

7. Ex his ultimo dictis colligi potest, quando famulus, se vili pretio addidit servitio alicuius, non possit regulariter petere amplius, adeoque nec se occurrere compellere. Ut ex *ibid. n. 59.* à me dictis satis colligi potest: quibus adde; quæ docet Dicast. *lib. 2. de iustitia, tract. 3. disp. 9. dub. 6. & 7.*

Emptio alieno nomine.

8. Si te rogavi, ut aliquid mihi emereres, quod cum emerere potuisses, verbi gratia, decem, misisti octo, non potes illa duo tibi seponere. Ratio est, quia conducto annuisti emere, acceptasti utiliter per moral. in diligentiam rem meam gerere, & quam minoris potes, ac si famulus esset vel mercede conductus. Non igitur a probo (ut videtur approbate de Lugo *tom. 2. de iustitia, disp. 16. sect. 9. num. 151.*) industriam cuiusdam famuli, qui emit rem pro se vili pretio, & deinde facta moral. ut aiebat diligentia, & non invento amplius Venditore pro illo vili pretio, ipse famulus vendidit rem Domino pro maiori corrente pretio, non inquam, approbo, quia erat obligatus primam eam emptionem pro Domino facere, hæc enim est diligentia moralis, ut non prætermittatur occasio emendi vili pretio pro Domino: ex industria volendi lucrari pro se. In eo tamen casu id non reprobarem, quo sine fraude famulus potavit eodem vili pretio facillè empturum pro Domino: quia tunc per iudicium (facile est) non omisit diligentiam moral. in pro Domino, & nunc non est sine culpa obligatus ad distrahendam vili pretio rem iam factam suam.

9. Quid si hic non possis emere nisi decem, tu verò in aliam Civitatem, seu alium locum à solitis mercatibus extraordinarium te transferas, ut minoris, verbi gratia, octo emas, potes illa duo tibi attribere, etiam si sis famulus (modo in servitis debitis Domino, non defis, nec differes emere cum ipsius damno.) Ratio est, quia non teneris nisi ordinarias diligentias exhibere, hæc autem est extraordinaria, & ex alia parte, qui utitur iusto boni industriis, non intendit Dominus, sed sit negotiari.

10. Quid pro ipso mero labore emendi? Si quis enim non est mercede conductus, potestne in aliquo occultè suum laborem compensare? Respondeo, idem hic dicendum; quod modò de labore vendendi dictum est num. 6.

Venditio in loco distant, An faveat vendenti alieno nomine?

Vna superest molesta mihi dubitatio: An si potes in utilitatem tuam subtrahere id, quod lucraris, quod do in aliam, verbi gratia, Civitatem per extraordinariam diligentiam peragendo rem pro Domino minoris emis, ut diximus num. 9. ita possis tibi seponere excessum

Hic 3. quando